

nisi immanissime efferae crudelitatis homo eam optare debet. Notum est, quid ille responderit imperatori quaerenti „Iure ne caesus esset, vir optime meritus?“ „Vtrum iure necatus fit non disputo, sed hoc scio, te dextra sinistram tibi praecidisse.“ Et talis victoria solet nominari Cadmaea²⁴³ et ab omnibus iudicari funesta, vbi amicus amicum iugulat. Intueamur tamen exercitus vtriusque conditiones, tesseras et consilia. Non inficiari possumus, multorum regnorum antecellentium auctoritate et potentia ecclesias a parte aduersa esse constitutas, et quamuis non ex aliqua leuitato nostras velim extenuare, tamen rursus, nisi ridicule velimus esse φίλαντοι, fateri nos oportet plaerasque ex illis non esse deteriores. Vigent inter illos honestarum artium studia, plerisque in locis honesta custoditur disciplina et plurimi Deum fiducia Filij mediatoris pio inuocant sine idololatria sicut et nostri. Retinent fideliter fundamenta sacrae doctrinae, scripta prophetica et apostolica, symbola cum alia, tum etiam hanc ipsam nostram Confessionem Augustanam laudant et probant. Deinde magno Dei beneficio ornati sunt doctoribus excellentibus pietate et eruditione, qui et immensos labores, aerumnas et pericula in propagatione verae doctrinae sustinuerunt et quorum aliqui adhuc superstites sunt, praeliantur in acie pro communi causa et qui profecto magis formidabiles sunt communibus hostibus, magis etiam eos reprimunt quam multi Stentores,²⁴⁴ qui tantum hoc agunt, [84:] vt tot myriades piorum hominum deforment. Praeterea vno ornamento praecipue Deus voluit eos nos antecellere et plane ostendere ipsorum doctrinam multis fructuosam fuisse, quia tantum agmen etiam celebrium hominum sanguinem in constanti confessione inter horrenda supplicia pro Christo fuderunt, cum interea simile robur apud nostros sicut ignotum non est non fuerit.

Deinde nequaquam illorum tanta est immanitas, vt nos velint iugulari, sed amice consensum communem constitui petunt, offerunt omnia fraternae benevolentiae officia, vbicunque etiam occasio est officiose nostros complectuntur et quod certo constat, edixere, ne publica vlla oratione lacerentur nostrae ecclesiae aut ad populum traducantur. Quae igitur causa est, quae impellere nos debeat, vt adeo erga ipsos saeuimus? Consentunt nobiscum in corpore verae doctrinae, pie nobiscum Filium Dei inuocant. Cur igitur tot millia sociorum confessionis et precum nostrarum ita atrociter damnamus? An quia vnica in parte praecipue leuicula quaedam nota est dissensio?

²⁴³ Anspielung auf Eteokles und Polyneikes, Söhne des Oedipus, die um die Herrschaft über Theben stritten und bei der Belagerung am siebten Stadttor beide ums Leben kamen; vgl. Aischylos, Sieben gegen Theben, hg. u. übersetzt von Emil Staiger, Stuttgart 2001.

²⁴⁴ Stentor, ein griechischer Kämpfer vor Troja, wörtlich „der Brüller“, beeindruckte in der Schlacht um Troja durch seine laute Stimme, die über das Volumen von 50 Männerstimmen verfügt haben soll. Vgl. René Nünlist, Art. Stentor, in: NP 11 (2000), 955f.